



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Apparatus Doctrinae Sacrae**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

§. 4. Cum Viduis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38464

non aliter, ac si ipse illum offenderent; talis enim dissimulatio & patientia mirè illis mentem mariti devinciet. Certè in plerisque conjugii causa potissima discordiarum est, uxorum garrulitas atque impatientia, uti ingeniosè indicavit Medicus ille, qui uxori, quam maritus quotidie verberabat, remedium petenti, vasculum naturali aquâ plenum obtulit, iubens ut marito irato, hac aquâ os suum impletet & tam diu retineret, donec mariti ira defuerit. sicut enim futurum, ut nunquam vapularet, quod & factum est. Idem indicavit prudenter Chirurgus ille, qui dum ad uxorem vulneribus plenum vocatus esset, primo loco emplastrum ori, nullum alioqui vulnus habenti, applicare voluit, causamque rogatus, respondit, frustra se reliqua vulnera curaturum, nisi hoc foramen priùs obstruxisset & sanasset.

4. Suadeat, ut, dum mariti signa quædam amoris erga ipsas ostendunt, occasionem capient, & suavis verbis rogent, ut deinceps ab hoc vel illo scelere abstineant, ut patienter ferant suos (uxorum) errores, se quoque, si hoc impetraverint, paratissimas ad omnem ipsorum nutum & obsequia fore. Caveant autem, nè unquam maritos, aut increpent, aut cum ipsis litigent, aut omninò manibus certent; nam sic magis in consuetudine eos roborant, atque ad odium & rancorem majorem excitant. Si hæc nihil proficiant, suadeat illis, ut Parochum, vel Virum Religiosum adeant, eumque rogent ut cum marito suo agere, aptisque mediis prudenter applicatis, ad frugem reducere studeant; ipsæ verò interea negotium hoc Deo commendent, proque felicitate ejus successu Communiones aliquot, vel elemosinas, aliaque opera offerant.

5. Si neque hoc remedium efficax fuerit, ad patientiam hortetur, suadeatque, ut ex malo tanto fructum bonum meritorum in cælo ingentium extrahere studeant, nè alioqui & illis objici possit, quod S. Job. suæ uxori objecit & dixit: *Quasi una de stultis mulieribus existi. Si bona de manu Dei suscepisti, mala quare non suscipias?* Profecto enim stultè agunt uxores, quæ impatienter ferunt tales miseras, quia sic & gravius ferunt crucem, & in altera vita nil nisi graves poenas expectare ex ea possunt, cum tamen per patientiam potuissent crucem hanc leviolem reddere, & simul ingens in cælis præmium mereri.

Secundum genus tentationis provenit, ex liberorum & aliorum domesticorum corruptis moribus. Contra has tentationes sic eas muniat Sacerdos. 1. Doceat illas, non nimis graviter apprehendere errores subditorum & liberorum, sed potius considerare eos ut cæcos, ut ægros, quibus minimè irasci, sed cum charitate & condolentia media applicare solemus. 2. Suadeat, ut non quosvis errores mox puniant, sed minores dissimulent, exemplo piscatorum, qui piscis minoris jacturam contemnunt, ut majorem lucentur. Revocet illis in memoriam Dei misericordiam, quam erga ipsas ostendit; & dicat illis: Ecce, an non vos quoque estis filia Dei? & tamen quàm parum impletis mandata illius? si quoties peccatis, mox Penam injungeret, quoties jam in Purgatorio, aut inferno essetis? Si ergo vos, quæ ratione polletis, à vobis ipsis impetrare non potestis, ut efficiamini tales, quales esse debetis, quomodo minus à liberis vestris, ratione destitutis hoc exigitis? 3. Hortetur illas, ut cum mansuetudine potius, quàm severitate eos corrigant, nam ut S. Prosper l. i. de vita contempl. ait: *Leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem nimia increpationis offensus, nec in-*

crepationem recipit, nec salutem. Et ut S. Gregorius in Pastor. cap. 35. ait: *Plerumque quos Cruciamena non corrigunt, ab iniquis actibus lenia condementia compescunt.*

Tertium genus tentationis oritur ex sollicitudine, quam de liberis tum alendis, tum necessariâ dote instruendis habent. Contra hanc sic illas muniat Sacerdos. 1. Hortetur illas, ut filios in timore Domini doceant, & exemplo S. Tobia ab infantia faciant, timere Deum; Hanc enim solam esse optimam hæreditatem, quam nemo liberis invitis auferre possit, & cum qua nullum necessarium ad vitam mediorem defectum sine possunt; eam enim si liberis instruxerint, aucter cum S. Tobia ad illos dicere ipsas posse: *Dilecta proles, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & receperimus ab omni peccato, & fecerimus bene. Tob. 4.* Ut etiam Deus ipse per Psalmistam dixit: *Non est inopia timoribus eum Isaia 33.*

2. Jubeat illas considerare, quàm liberaliter Deus aves in aère, feras in sylvis nutriat, quantum magis ergo hominibus pretioso ipsius Sanguine redemptis necessarium victum non negabit?

3. Jubeat item meminisse, quod non tam ipsarum, quàm etiam Dei filii sint liberi earum; imo magis Dei, ut qui corpus & animam dedit, si ergo ipse tantopere sollicitus sunt pro liberis, neque illos unquam fame perire sinerent, quanto major de talibus liberis cura ab ipso Deo expectanda erit?

4. Ostendat illis, quantum periculum & damnum liberis & sibi ipsis creent, si amplam nimis hæreditatem parent; sibi quidem, dum interea salutem suam & celestes divitias comparare negligunt, pro quo tamen ipso labore exiguas à liberis gratias referent, sed potius efficiant, ut & in vita mortem ipsarum illi assiduo desiderant (quo citius paratâ hæreditate fruantur) post mortem verò convivium instituunt, & per turpem decoctionem hæreditatis, notam parentibus mortuis injurant, pro honore & levamine quod per tantos vitæ labores expectabant.

§. IV.

Praxis Viduas instruendi.

Explicandum Viduis, quod cum marito careant, debeant se Christo offerre, & illum in Sponsum accipere. Suadeat ut Christo pro dote offerant has quatuor virtutes. 1. Insignem vitæ honestatem, qua studeant Christo soli placere, & ab eo vicissim amari. 2. Constantium studium Orationis: per hanc enim sponso suo familiares fient, nec aliorum colloquia ambient. 3. Patientiam, quâ æquo animo ferant miseras & desolationes quas seculum affert status viduitatis. 5. Charitatem erga liberos & domesticos, quâ tum necessaria illis provideant, tum in pietate & bonis moribus benignè instituant.

Tentationes quædam propriæ sunt Viduis, contra quas à Sacerdote muniri debent.

Prima tentatio oritur ex mariti morte; contra quam sic eas muniat Sacerdos. 1. Ostendat, merito sperari posse se, maritum inter Electos annumeratum esse, proinde, si verè illum dilexerint, gaudere magis ipsas debere, quod ille ex carcere corporis liberatus, & ab exilio revocatus in patriam, omni deliciarum genere affluentem fuerit.

2. Declaret etiam illis, melius sic provisam fore à marito, si enim, cum in terris viveret, tantâ curâ uxori & liberis necessaria providebat, quanto magis in cælis

Arde
kin

Theo
logia

D. 117
2. 5

celis hoc facturum, ubi & charitas innumeris partibus aucta est, & major ad quævis à Deo impetranda facultas adest.

3. Revocet in memoriam, quoties viventem adhuc Maritum in longinquis forte regionibus negotiorum causa abeuntem sine dolore dimiserint; quidni ergo etiam jam ipsius absentiam per diem unicum (nam mille anni coram Deo & cum æternitate comparati, sunt sicut dies hesternæ, quæ præterit) æquo animo ferant, ut suo tempore, tantò cum majori gaudio, in cælis iterum videant; maximè cum sperare possint, in eum locum abiisse maritum, in quo negotia sua, & liberorum commoda optimè apud Deum & Patronos procuraturus credatur.

4. Ostendat illis, quod loco Mariti defuncti infinitis ditiores, pulchriores, nobiliores, sanctiores, & præterea etiam immortales, summeque sponsæ suæ amantem Sponsum, videlicet Christum, habere possint; ei proinde se despondeant, & tum audacter cum S. Davide Psal. 22. dicturas: *Dominus regni me, & nihil mihi deerit.*

Alter tentatio, ex ipso Viduitatis statu & solitudine perisique viduis per quam sanè molesta oritur, contra quam sic illas munit Sacerdos, 1. Declaret, quantum curam se de Viduis habiturum promiserit Deus, nam Exodi 22. cap. dicit: *Vidua & pupilla non nocentis, si laeseris eas, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem earum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, Jeremiæ 22. præcipit: Viduam nolite contristare. Matth. 23. Vobis Scriba & Pharisæi hypocritæ, qui domos viduarum comeditis. Psalms. 145. dicit: Pupillam & viduam suscipiet. Et Deus Psalms. 67. Pater Orphanorum & Judex viduarum vocatur, ut innuat, se speciali ratione Viduas defenditurum.*

2. Illis ostendat, quàm fideliter Deus promissis steterit, & quantam jam olim curam de illis habuerit, in eumque finem ob oculos illis ponat viduam Sareptanam, 3. Reg. 17. ab Elia mirè adjutam.

Alteram item, cui Eliseus 4. Reg. 4. per olei multiplicationem subvenit. Nobemi viduam singulari benedictione impertitam. Ruth c. 1. Viduam, cujus filium Dominus à morte suscitavit. Lucæ 7. Annam filiam Phanuelis, quam Prophetico Spiritu donavit, & quàm tantopere à S. Luca c. 2. laudari voluit. Viduam, quæ duos obolos, in Gazophilacium misit, præ aliis omnibus à Christo laudatam. Marc. 12.

3. Proponat in exemplum Viduas illas, quæ, cum possent, nubere noluerunt; quales sunt, Paula Romana, Blesilla ejus filia; Melania, quæ marito nondum sepulto viduitatem suam Domino consecravit; Euphrasia, quæ licet ætate florida, & divitiis affluens, & ab ipso etiam Imperatore rogata, ut secundas iniret nuptias, constanter abnuvit, & in Thebaïdem se contulit; Elisabetha Regis Ungariæ filia, quæ totam se post mariti mortem pauperibus infirmis curandis impendit; Olympia Constantinopolitana vidua, quæ cum per annum & dimidium dumtaxat virum habuisset, & ab Imperatore Theodosio moneretur alium accipere, respondit: *Si Dominus voluisset, me viro nuptam esse, non tam cito me illo orbasset; quia ergo agnovit, non amplius expedire mihi Conjugium, conjugem abstulit.*

4. Revocet in memoriam illis incommoda matrimonii, & durum vinculum, ob quod ablatum gaudere deberent potius, quàm tristari; meminisse quoque luceat illius dilemmatis, quo vidua quædam Romana usa

est, dum dixit: *Aut futurus mihi maritus bonus, aut malus est: si bonus, vexabit semper timor mortis illius; si vero malus, expedit mihi magis malum hoc non experiri.*

Tertia tentatio, provenit ex sollicitudine de victu sibi & filiis procurando; contra hanc munit eas, partim iis mediis, quæ supra pro simili tentatione conjugatarum attuli; partim verò etiam iis quæ infra contra pauperum tentationes afferentur;

Specialiter verò hic proderit in memoriam revocasse illam historiam de vidua, quæ duas filias, quas alere jam non poterat, ad aram B. V. duxit, eique omne in illas jus maternum transfecit. Quo facto vix egressæ templo sunt, cum obvius illis juvenis factus plenum pecuniæ marsupium offert, seque patri eorum mortuo has pecunias debere asserit. Accipit pecuniam læta mater, & ex ea vestem filiabus honestam confici curat; cum autem vicini ita vestitas viderent, & talem pecuniam ex quæstu impudico comparatam suspicarentur, mater de infamia filiarum sollicita ad templum properat, & B. V. hanc necessitatem commendat, & sanè iterum audiat sunt preces. Nam die quodam festo, dum filie ante domum sedent, adest de cælo Angelus, & in conspectu multorum rosas virginibus tradit, dicens, eas ab ipsarum cælesti Matre in testimonium illarum virginitatis missas fuisse. Id ubi Princeps illius terræ intellexit, geminum Monasterium ædificavit, & utrique has virgines præesse voluit. Ita refertur in Speculo Exemplorum, exemplo 117. Et ex Apparatu videri potest ver. *Consolatio divina*, quomodo illa Viduis aderit, si ad eam fidenter confugiant.

S. V.

Quomodo, & de quibus instituenda Moniales, & Virgines.

Stuendum, ut sæpe recolant illam S. Bernardi sententiam: *Ad quid venisti? Ac proinde Mundo generose valedicentes, solum Christum pro Sponso eligant, certoque sibi persuadeant, quidquid sponsa in Sponso suo exoptare possit, id omne illas in Christo infinites perfectius reperire; ideoque meminisse eas jubet sententiæ illius à S. Paulo 1. ad Corinth. cap. 7. prolata: *Quæ nuptia est, cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro; & mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu.* Audiant ergo & implere studeant consilium in simili negotio viduis à S. Augustino de bono viduitatis datum, dum ait: *Currite ad illum, placete illi, ex illo vivite, cum illo, & de illo.* Præcipue verò illas hortetur ad magnam corporis, animique integritatem, ad Orationis studium, ad obedientiam, modestiam, & patientiam; hæ enim virtutes maximè sponsam Christi decent. Porro tentationes ipsarum ad quatuor fere species revocari possunt.*

Prima oritur, ex solitudinis religiose tædio; contra hanc sic illas munit, 1. Proponat illis exemplum avicularum inclusarum, quæ initio quidem solitudinis impatientes exitum ubique sollicitè quærunt, sed paulò post solitudini assuetæ, adeo delectantur illà, ut neque aperto etiam ostio exeant; idem ergo ipsas sperare tantò certius jubet, quantò fortior est gratia divina, quàm consuetudo.

2. Revocet illis in memoriam, quomodo pleræque Uxores in sæculo solitariae domi resideant, & intercæ mille crucibus & curis oneratae gemant & felices virgines Deo consecratas & inclusas prædicent; gaudeant ergo illæ, sibi obtrigisse felicitatem, quam aliæ tantopere expetunt, neque tamen obtinere possunt,

3. Offen-